DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis, vigesimo-septimo mensis Junii, anno Domini M. DCC. LIV.

M. CAROLO GILLOT, Doctore Medico, Præside.

An perficiendis Medicis necessaria Peregrinatio?

I.



EDICINA Princeps Artium: hujus professores multi, possessores pauci. Quidam altiores ex eo spiritus gerunt, ac cæteris præire se putant, vel quòd in anatome versati sint; vel quòd medicamentorum, quæ ex mineralibus, vegetabilibus, animalibus eruuntur, naturam ac differentias probè calleant; vel quòd sciant quâ ratione opera chimica perficiantur, quæ menstrua commodiora sint mixtis fermentandis, aperiendis, solvendis, ac quidquid habet arcani vel miraculi chimia. Hæc sanè sunt egregia, pro merito vix satis laudanda; sed quot alia requiruntur in Medicis, ut penso ritè suo defungantur? His prædictis dotibus Pharmacopola vel alius quivis extolli, non ex omni parte Medicus potest commendari. Gloriantur agyrtæ se labore usque eò profecisse, ut quasvis ægritudines solâ unius medicaminis operâ depellant, sed cùm spem hujus beneficii facere conantur, sæpè maleficii vel etiam homicidii rei convincuntur. Sunt qui pulveres, quos sympathiæ vocant, ut miræ virtutis ad morborum curationem prædicant; alii periaptis, periammatis, amuletis, impressis caracteribus, aut prolatis vocibus ægritudines profligari affirmant: has ineptias, fabulasve spernit quisquis veræ Medicinæ cultor. Ut ad hujus artis perfectionem quis assurgat, nihil sibi antiquius esse debet quàm ut firma doctrinæ fundamenta jaciat; quod præstare vix poterit, nisi libros Hippocratis legat assiduè. Ab his morborum historiam accipiet, quibus è causis illi prodeant, quibus conveniant signis, quibus discrepent, quæ signa boni vel mali sint omnis. Hæc postquàm diù fuerit meditatus, quæ vera quæ certa sit medendi norma seriò cogitabit; à præceptis Medicinæ Principum nunquàm deflectet, qui Naturam ducem optimam sequuntur. Insuper ab ipso usu, rerum Magistro multa docebitur remedia, quibus affectiones vel leves vel graves tollantur. Hæc omnia quisquis studio constantiori fuerit adeptus, Medici famam nomenque decusque apud omnes relaturus est: sed illa Medicinæ bona non eruuntur

* *M. HENRICI MAHIEU, Anno* 1696.

ex muſæo ; non à præceptore accipiuntur, non pretio, aut precibus obtinentur. Quot ſunt ſcitu digna quæ litteris minimè prodita ſunt ? quot obſcura, quæ non videntur ab occulatioribus ? Quòd ſi medicis opibus abundare velis, tibique nec remedium deeſſe cupias quo ſubvenias ægrotantibus, linquenda domus paterna, mutandum natale ſolum, trans mare currendum, cœlum ipſum ſapientiâ petendum.

I I.

ARTES quælibet non niſi ope quorumdam inſtrumentorum exercentur. Hinc Medicina non niſi pluribus adjuta præſidiis operatur; quamobrem multos habet miniſtros qui ab ejus pendent nutibus, qui vocati juſſa ſtatim exequuntur. Chirurgia innumeris abundat inſtrumentis, quibus indigemus. Omni genere quoque Pharmacia luxuriat inſtrumentorum, quibus adornat quodque remedium; ſed hæc communia, pervulgata Medicinæ præſidia, quibuſcum multa, non omnia conficiuntur. Philoſophia mentis humanæ jubar, non leve confert Medicis ſubſidium; vocum ferè non intelligendarum tenebris olim ſepulta fuit, nunc pluribus experimentis ſtabilita maximum habuit incrementum : gladio micante ignis partes mixtorum ſecantur: quæ ſenſus fugiebant, fiunt manifeſtiora : quæ ſit indoles ſuccorum quibus alluuntur & aluntur noſtra corpora, quæ natura medicaminum declaratur. Hypotheſis acidi & alcali plura phænomena dilucidat. Plerique Medicinam ab Aſtrologiâ vires quaſdam mutuari ſcribunt, ipſe Hippocrates, ad aſtrorum ortus & occaſus attendebat, ut prudentiùs exhiberet purgantia remedia ; & certè ab Aſtronomiâ aliquid commodi percipi aliquandò poteſt. Solertia medentis in explicando quæ ſunt obſcura, ſagacitas in diſtinguendo quæ ſunt æquivoca, judicium in exponendo quæ ſit ſedes, quæ cauſa continens ægritudinis, miros affert laboris fructus. Prudentia quæ ſcientia eſt de rebus eò loci præſtandis, ut in omni vitâ, ſic in Medicinâ multùm valet. Quin & eloquentia non mediocriter prodeſt Medicis : hæc facit ſuaviora conſilia medentium, dulci ſermone aſperitatem morborum & remediorum emendat. Quicumque hæc intra manus habet adjumenta, velut cataphractus miles ad pugnam, ſic ad exercitium Medicinæ paratus accedit, nec aliud ſibi deeſt, niſi ut peregrinatione perficiatur.

I I I.

IBIDEM loci vitam omnem agere, labor ac dolor : animus varietate locorum oblectatur, diverſorum hominum colloquio diteſcit. Ut non omnis fert omnia tellus, ſic artes quævis non uno loco natæ. Ars Medica longè diffuſa, ſed variæ, variis in locis, ſunt curationis artes excogitatæ. Nonnullarum ſtirpium cognitione ac uſu, tota medicina apud agreſtes viros continetur ; conſtat pluribus præceptis & experimentis apud doctos, ex quibus probè ſimul cohærentibus nomen artis refert ; quapropter nimis illam deprimunt qui tantùm conjecturis innixam volunt. Jam indè antiquitùs coli cæpit, vix à Romanis tractata, plurimùm à Græcis exculta ; decurſu temporum innumeræ ſunt morborum curationes inventæ : ſive quòd commodiora remediorum genera fuerint uſurpata, ſive quòd ſicùt viſa in cœlis nova ſydera, ita etiam novi morbi caput extulerint. Sic variolæ nec ab Hippocrate nec à Galeno deſcriptæ, ſic Syphilis, patribus noſtris ignota, graſſari cæpit in vulgus, indèque multa medicamenta, vel eorumdem variæ præparationes medicinam auxerunt. Intereà Mercurius & Antimonium hoc ævo noſtro fuerunt celeberrima, *virtutis efficaciſſimæ* medicamina. Peruviano cortici, Braſſilienſi radici magnus honos habitus. Felix ætas noſtra tot ferè medicinæ videtur addidiſſe, quot à patribus accepiſſe. Hinc tanta laus anatomicorum noſtrorum à quibus tot partes in

homine veteri recèns detectæ ſunt, ſanguiniſque circuitus, ſi non repertus, certè multùm illuſtratus; hunc enim Hippocrati *ſubodoratum* fuiſſe, tanti viri ſcripta teſtantur, multique poſt Hippocratem & antè Harvæum eandem ſanguinis circuitûs ſententiam amplexi ſunt; ſed hujus doctrinæ, ſi minùs inventrix, certè reſtauratrix & propugnatrix ætas noſtra dici debet. Chimia paucorum hominum antè ſcientia, nunc plurimorum eſt, atque indè quanta remediorum ſupellex! Quantumvis verò provida prædicetur natura, tamen non omne ſolum ferax optimorum remediorum. Quin etiam ſi Plinio fides, patrii cibi præſtantiores, præſtantiora medicamina peregrina. Adeòque ex pluribus Orbis partibus, Medicus referre poteſt bona, gemmis & auro pluris æſtimanda. Qui vel à Græcis vel Arabibus medicinam omnem doceri ſe poſſe putat, fallitur, quot ſunt, quibus authores illi nullatenùs cogniti, qui tamen medicinam profitentur non inglorii? Quilibet Doctor à Doctore poteſt edoceri, ſed is perfectior Medicus evadet, qui quamcumque ſanandi rationem exul patriæ meditatus fuerit, facto examine comperierit quâ viâ certiùs apud pleraſque gentes deperdita ſanitas recuperetur, quique uſus fuerit variorum hominum in medicinâ ſpectatiſſimorum conſortio.

IV.

MEDICUS cenſeri non debet qui hominem neſcit, hominem ſcire perfectè ſine peregrinationis auxilio vix poſſumus: ſimilis quidem ubiquè corporis humani ſtructura, ſed quàm diſſimilis temperies, quàm diſſimiles affectiones! hinc qui plagas habitant Orientales, ut plurimùm ignavi; qui verò Septentrionales, laborum patientiſſimi. Hinc generoſa gens Polonorum pro libertate tàm ſtrenuè pugnat, pane ſecundario læta paſcitur, aquâ vel ceveviſiâ vino ſalubriori ſitim jucundè fallit. Ni ſecedas à patriâ quid homo præſtet homini, quantùm hic populus ab alio diſtet, ægrè intelliges. Variæ morborum ſpecies ſæviunt in genus humanum ab aëre vario, à variis cibis. Hinc Indis Venerea lues, Italis Melancholia, Strumæ Hiſpanis, Plica Polonis, Scorbutus Danis, Phthiſis Anglis, Alpinis Bronchocele quaſi gentilitio jure propria. Ut gens quælibet ſingulares à naturâ dotes, ſic morbos habet, variam quoquè medendi methodum; quæ omnia latent eos qui ſemper in iiſdem oppidulis latitant. Hîc, ſi quis in morbum incidat, huic ſtatim potus aquæ vitæ mixto pipere propinatur; hîc, catharticum remedium jam jam exhibetur; hîc, per vomitum oggeritur; hîc, refrigerantibus; hîc, calefacientibus febres oppugnantur. Fluor alvi ſpes optimæ criſis apud aliquos audit, apud alios ſudor, quòd lympha degener, ægritudinis cujuſque cauſa credatur. Frequens apud multos uſus enematum, apud Moſcovitas nullus, apud Luſitanos venæ ſectio ferè pro omni remedio eſt, apud nos quoque ſæpiùs ex uſu, parciùs tamen quàm antè ſanguinem fundimus, nec inconſultò. Ab Italis venæ ſecantur inferiores potiùs quàm ſuperiores, & id raRò. Ab Hiſpanis ex utroque ſimul brachio vel crure ſanguis educitur, ut æquilibrium ſanguineæ molis ſervetur. Magna igitur populorum diſſenſio in medendi ratione, ſed ad hanc opinionum diſcordiam rectè ſi attendatur, non parva rebus Medicis adferri lux poteſt, plurima indè deduci poſſunt documenta, quæ valdè proſint ad rectè medendum, ſed hæc præſtari facilè non poſſunt ab eo qui ſemper in eodem oppidulo degit.

V.

NON eadem rerum facies apud quaſlibet gentes, non idem rerum ordo. Stat nihilominùs apud omnes imperii dignitas, inter cives tranquillitas: quid ni etiam pax humani corporis variâ ratione firmetur, ſanitas ſervetur aut reſtituatur. Sed quemadmodùm in vita civili ſapientiùs ſe gerunt qui multiplices urbes viderunt, varias hominum mores exploraverunt, quidni peri-

tiores ſint in medendo, qui multas & aliquatenùs oppoſitas curationis artes probaverunt? Certè brevioribus pagi aut oppiduli coërcita limitibus Medicorum induſtria, quid melius in praxi difficiliùs attingit: illorum aliqui ſicut eandem eunt redeuntque viam, ſic eodem ferè modo cunctis opitulantur ægrotantibus; aſſiduus incola pagi vel oppiduli Medicus, plebis favorem ambit ſæpènumero; quod bonum ut adipiſcatur, conſuetudini patriæ, tritoque remediorum uſui magis ſervit, quàm enodationi veritatis. Amplioribus patent limitibus magnæ civitates, ac præcipuè Pariſiorum Lutetia, quæ quaſi totius Orbis compendium, innumeros omnium penè nationum homines complectitur, & in quam non è Galliâ modò, verùm etiam ex omnibus propemodùm Europæ regionibus, admirabiles ac ſæpè inauditi morbi vel curandi vel dijudicandi perferuntur. Hæc Urbs populoſa omnia ferè Medicis ſuppeditat peregrinationis commoda: ita ut iis qui utitur ſedulò, licèt in eâdem urbe degat, peregrinantium tamen bonis frui quodammodò videatur. Medicina Philoſophiæ ſoror: hæc, mox in hanc, mox in illam orbis partem ferri delectata eſt, ut mundi totius ænigma, ſi fieri poſſet, aliquandò ſolveret. Quamobrem Plato, Pythagoras, aliique perilluſtres viri, diſſitas à patriâ gentes adiverunt, ut certiorem de rebus haurirent ſcientiam. Quod ſi, velut ex Pergamo profugus, Romam non veniſſet Galenus, contrà methodicos non pugnaſſet, non perfodiſſet αἱμαφοβὸν Eraſiſtratum, non tàm facilè eduxiſſet veram medicinam in apertam lucem. Romani quondam rerum domini, tantùm ſibi arrogabant, ut modum agendi ſuum, in omnibus, æqui rectique regulam arbitrarentur; hos Velleius Paterculus inanis jactantiæ reos inſimulat: apud exteras gentes multa recepta conſuetudine ſcribit, conſultiora, quàm quæ gererentur à Romanis. In eundem ſuperbiæ ſcopulum ne allidat, caveat Medicus qui ſic adhæret cuidam hæreſi, ſuum ut examen caſtigare nolit in alienâ trutinâ. Aliorum dicta vel facta, conſilia vel experimenta perpendere debemus; ut rebus omnibus æquâ lance libratis, non ceratinâ diſputatione ſed maturo judicio diſcuſſis, quid melius, quid æquius, prudentiſſimè concludamus.

Ergò perficiendis Medicis neceſſaria Peregrinatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Honoratus Petiot.

M. Ludovicus-Anna Lavirotte, Cenſor Regius.

M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus le Thieullier, Regis Conſiliarius, in majori Conſilio, nec-non in magnâ Regia Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.

M. Petrus-Ludovicus-Maria Maloet.

M. Alexander-Dionyſius Diernert.

M. Carolus Geille de S. Leger.

M. Gedeon de Rabours.

M. Laurentius Ferret.

M. Carolus Dionis.

Proponebat Pariſiis PETRUS-JOSEPHUS MORISOT DESLANDES, Catalaunenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1754. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſ. Typog. 1754.